



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

Cap. II. De qualitate probabilitatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)



probabilitatis, quam sequeris unius Authoris suffragio fultus, omisso rationis, communi, etiam in articulo mortis.

II. Præcepta Charitatis, Fidei, Spei, Cultus Religionis, ætæque Virtutum inter Christianas præcipuarum omnino tolli, aut quod perinde est, vim illis auferre, vel unum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte; quod verbis expressis tempus, & momentum non designent quo illi actus sint eliciendi, aut viæ Christianæ prima institutione, aut illius progressu, aut ad finem.

III. Et quam Christus vult esse perpetuam, & nunquam interruptam ad Deum Patrem orationis necessitatem ferè negat.

IV. Et inter orandum, liberam mentis distractionem permittit, etiam dum interis Sacram.

V. A quo eximit eos, qui avidius lucro inbiant, quod illis periret, si ad Missam accederent.

VI. Quid putas alia præcepta curaturum, qui parum pensi habet omnium maximum Charitatis in Deum, Orationis, & Cultus divini?

VII. A ieiunij lege eximit omnes artifices, & ferè coniugatos.

VIII. Officium celendi Patrem filiis remittit; si probabiliter putent, matrem coniugis fidem non admodum sanctè servasse, & se ex adulterio potuisse nasci.

IX. Indulget etiam illis ius inveniendi matrimonium cum dispari, Patre in consilio, & invito.

X. Permittit vota paternæ mortis, ut vacuum hereditatem adeant.

XI. Nec minus liberalis est in Reges, quam in Privatos; dat illis ius belli, si aliqua illis faveat probabilitas ex iure in eum, qui parem, aut maiorem habet probabilitatem rei possessæ adiunctam.

XII. Habet etiam rationem subditi: eximit illum à reſtigali, cuius non habet competentem æqualem.

XIII. Non sunt expertes eius liberalitatis, & Beneficentiarum Indices. Quia omnia profert ex inexhausto Probabilitatum Theſauro, & Promptuario.

XIV. Inde asserit, illis ius verum omnium, quatenus apud ipsos movetur, ut visum fuerit, abdicationis, & adiudicationis; quam vendere quæ velit, cum sit gratuita, & arbitraria?

XV. Qui adeo largus est in Iudices, non est parcus in fures, & in reos; permittit, instante gravi necessitate, cuique non solum propria occultare bono publico, sed etiam aliena surripere.

XVI. Si reum vitæ, & carceris tedeat, potest, illo auctore, sibi falsum crimen imponere, morte mactandum.

XVII. Potest idem in testem iniquum, idque citra omnem iniustitiam; imò citra culpam mortalem, & forte etiam venialem.

4. Advertis, quantum scelerum autorem facit Tamburinum Baronius? Si quis imagine auctoritatis viri parique virtutis in civitate aliqua degeret, ob multa in Reipublicæ bonum præclare gesta, notus omnibus, ac Somanis, Mediis, Infimis apprime carus: adisset autem inibi quispian eius illustri viri invidus æmulator (cuiusmodi bonorum hominum oppugnatores deesse nunquam solent) qui late per urbem disseminaret, illum esse homicidam, adulterum, incestuosum; Quis rogo, vel ex numero plebis, non sanctè iuraret, hunc mendacem esse, & calumniatorem, quique in hunc ferè modum non exclamaret? Ergone tantæ virtutis, atque innocentie vir, in quo tot annos, ne levem quidem vitæ labem animadvertimus, imò Angelicos mores admirati sumus semper omnes, homicida, adulter, incestuosus audiet? Apagæ tanta hæc scelera in virum optimum contrita, esse nimis manifestè calumnias, putandum est. Profecto, simile quid de meo præceptore (date Amanti veniam, lectores) sic proferam disertè.

Tamburinus adeo ab ipsis penè incunabilis pius, ut vix decimo sexto ætatis anno coopari in Religiosum Societatis Jesu Ordinem obtinuerit; adeo doctus, ut

Rhetoricam, Philosophiam, Theologiam Speculativam, & Moralem per annos pluraquam viginti in Panormitano, ac Missanensi Collegio, atque, in hoc, studiorum Præfectus, cum plausu, docuerit; Adeo prudens, ut ex Superiorum imperio Collegium Caltanissetense, Montis Regalense; Missanense, Panormitanum gubernaverit; Rursus adeo doctus, & prudens, ut à tota Sicilia Provincia, ad gravissima negotia Congregationis Generalis Societatis Jesu Romæ pertractanda, electus fuerit; Præterea, adeo doctus, prudens, & pius, ut in Tribunali Sacræ Inquisitionis huius Regni Qualificatoris, & Consultotis munere fungatur; Tamburinus, inquam, tantorum scelerum, quanta Baronius, uno firmè spiritu, accumulatur, Reus erit? Apagæ. Calumniæ hæc calumniatorem nimis aperte condemnant. Sed, quæso, ne verbis, & amplificationibus exultemus? dividantur prædictæ imposturæ, & ex uno multa facientes, singula Baronij dicta cum germana Tamburini doctrina conferamus.

## CAPVT II.

### De Qualitate Probabilitatum.

1. BARON. IN primis omnimodam securitatem asserit (Tamburinus) lib. 1. in Decal. c. 3. s. 3. cui libet opinioni, etiam tenuissimæ probabilitatis, quam sequeris, unius Authoris suffragio commissa tutiore, communi, etiam in articulo mortis.

2. Vides, quam ieiunè, quam indistinctè & sine explicatione ulla hæc refertur Baronius? Ad, nunc Tamburinum, & eius germanam Doctrinam agnosce.

TAMB. Num. 3. Jam vero, qui aliud operatur (ait lib. 3. in Decal. c. 3. s. 3. n. 3) motus ex opinione probabilis, bene operatur, & sine peccato; quia in humanis, ut cum prudentis, quæ est certa regula humanarum actionum, operatur, non nisi probabilitas necessariò requiritur. Id quod via certum est, & ita à Doctore Vtroque Sanchez l. c. Caltrop. tom. 1. tr. 1. d. 1. p. 2. Valq. p. 2. d. 62. c. 4. n. 8. M. roll. tom. 1. d. 3. c. 4. d. 1. & novissimè Bardi contra Philalet. de cons. d. 4. c. 10. comprobatur ut nostra discussione non indigeat, etiam opinione probabiliori relicta ex Caltrop. loc. cit. Joan. Sanch. d. 42. num. 12. etiam ommissa tutiore ex iisdem ibid. etiam communi iuxta Caltrop. l. c. n. 1. Tom. Sanch. l. 1. in Dec. c. 9. num. 9. etiam in articulo mortis cum Joan. Sanch. d. 19. num. 8. Pasqualig. Dec. 27. quia dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, iuxta Pasqual. dec. 20. Bassit. Franciscum de Amico apud Bardi l. c. cap. 13. modo à probabilitatis finibus non excutitur, ut explicabitur mox num. 11. sine, cons. aliquid agimus, semper prudenter agimus. Neque obstat, quod in dubiis tutior pars sit eligenda, nam (præter alia) nos hic sumus in probabilitate, non in dubiis.

4. Si hos Doctores hic laudatos legit Baronius; ut certè legisse puto, eam solum censuræ subiecit Theophilum, qui Tamburinum laudat, præterit autem tot insignes Theologos, qui idem tractantes Tamburini doctrinam approbant? & quod peius est, eam suggillat Tamburinum, perinde quasi ipse unus isthæc docuerit?

5. Rursus, Baroni, cur exscribis (opinandi etiam tenuissima) cum Tamburinus scribat (tenui)? quamvis enim videatur alicui, parum inter hæc discriminis intercedere; tamen animadvertito, in ipsis primis cavillationibus aliquid de tuo te voluisse superaddere. Sed de hac tenuitate mox n. 8.

6. Præterea cur illud (quam sequeris unius Authoris suffragio tam fagide, & mutilatè retulisti? quod, quidem sic diminuat dictum merito damnandum est, quemadmodum SS. Pontifex Alexand. VII. in decreto S. Congr. dato anno superio. 1665. damnat propositionem illam; Si liber sit alicuius Iunioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat reiectam esse



esse à Sede Apost. tanquam improbabilem. At Tamburinus caute loquitur, ne latum ac ad uno Doctore, sive iuniorē, sive antiquiorē dicitur aliquid opinio probabilis, censet illam putandam esse probabilem; sed ut sit probabilis, accedere debent multa additamenta, quæ breviter sic enumerat.

TAMB. Num. 5. Tunc solum puto (ait l. c. n. 5.) sufficere unum, tamen si contra innumeros Doctores is doceat, quando idem est DOCTVS, rem EX PROFESSO tractat, si namque RATIONEM pro se habet (nota id, ) Nec apparet contrarium aliquod convincens. Ita Azor. Vsq. & alij.

8. De hac unius auctoritate vide omnino, quæ docet Lezana, alijs multis Doctores; hanc doctrinam confirmans, conf. 48.

Explicatur illud (Tenuis probabilitas.)

9. Cur denique, Baroni, oculos non admovisti ad illud modo allatum à me num. 3. meo quod Tamburinus addit (ut explicabitur mox num. 11. sine) qui certe locus erat omnino videndus; & maxime notandus à Theologo: nam omnem invidiam averit à legitimis propugnatoribus probabilitatum. Hi enim eam probabilitatem ad nostras actiones dirigendas sufficere docent, ut colligere poteris ex Suario de Penitentia disput. 22. sect. 9. ) quæ omnino constat, & nullo modo ab opposita parte deiciatur, Ecce locum Tamburini.

10. TAMB. Num. 11. Atque hæc ratio (ait l. c. n. 11. sine) allatam doctrinam probat, etiam si altera pars sit probabilior, modo maior probabilitas alterius dictæ partis non sit tanta, ut deiciat à probabilitate illam oppositam, quia tunc contraria iam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat prudenter intellectus.

11. Ex quibus, & ex toto contextu apparet, germanam doctrinam nostri Authoris sanam esse, nec Baronij censuræ subdendam. Id quod item melius cognosces, Lector mox n. 16. & item quando legeris illa, quæ afferam de hac tenuitate c. 20. & 23. Quæ autem sint illa, quæ deiciant, vel non deiciant probabilitatem oppositam, cordate persequitur Tamburinus n. 12. suo, qui immediate sequitur ad præcitatum n. 11.

12. Antequam vero ad reliqua progrediar, iuvet audire aliquos Doctores ad pleniorē prædictorum cognitionem. Verum moneo, tum hos, tum alios, quos infra per alias occasiones produxero, non ideo à me illos afferri, quasi præceptor meus in illorum verba omnia iuraverit; sed solum, ut cognoscatur doctrinæ punctum, de quo ibi disputatur, non esse adeo singulare, ut unus Tamburinus de povitate notetur. Id quod si iterum, iterumque moncho, ne te tædeat, Lector, hanc enim notam nimis sæpè obicit, acrem tamen semper verberans, adversarius noster. Iam Pasqualigus decis. 20. sic habet.

Anquis possit sequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis?

13. PASQUAL. Tradunt duos casus Doctores, &c. At licitum est eam sequi, tenet Bressius, de conf. c. 7. n. 77. quæ sententia mihi magis placet, & puto, si rectè consideretur, non habere difficultatem.

14. Licet enim opinio habeat minimum gradum probabilitatis, adhuc tamen illum habet, & verè probabilis est, si cuius si in pariete sit minimus gradus albedinis, adhuc verè paries albus est, & si in anima sit minimus gradus gratiæ, verè sancta est, & insula: Ego verè, & secundum rectam rationem possumus eam iura conscientia sequi, quia possumus eam amplecti, ut probabilem; Atque adeo, ut rectam mensuram humanæ operationis. Opinio namque probabilis non facit, quod operatio sit honesta, quia habeat tantam vel tantam probabilitatem, sed quia probabilis est, atque adeo id præstat ratione probabilitatis secundum speciem.

15. Atque hoc habet locum, etiam si opinio, quæ habet minimum gradum probabilitatis, concurrat cum opinione probabilissima, quæ adhuc in comparatione illius tenet suam centem probabilitatem, ratione cuius adhuc est secundum rectam rationem, atque adeo etiam operatio ipsam mensurata.

16. Hoc postremum sic absolute dictum noster Tamburinus non recipit, nam requirit semper illam super dictam exceptionem, hoc est, (modo à probabilitate maiore opposita partis non deiciatur.) Id quod ipse explicare consueverat exemplo candelæ, vel stellæ, quæcumque sit, si effertur coram Sole, statim elanguet, ita cum sententia tenuis in probabilitate, si opponatur probabilitati magnæ, statim suam vim ita amittit, ut ne unquam quidem probabilitatis noscat amplius in illa.

17. Atque hic per hanc occasionem duo diligenter nota. Primo (quod modo dixi, meo, 12.) multa, tum in hæcenus allatis, tum deinceps afferendis Authoribus in hoc meo Opusculo, non recipi à Tamburino, & ne tamen proferri pro ea dumtaxat doctrina, quæ cum ipso convenit.

18. Secundo nota, me scire ab adversariis probabiliter plura perinde negari in Tamburino, ac in alijs: nam propterea moneo lectorem, ut ex his, quæ alio, illa solum pro modo recipiat, quæ ad rem nostram, hoc est ad defensionem germanæ doctrinæ nostri Authoris confirmandam faciunt. Cæterum non deest alijs, qui universalem propugnationem legitimarum probabilitatum molientur.

Explicatur magis illud (Instante morte)

19. Illud de (instante morte) quod admirationem ab indocta plebe, si ea instruat, amovet operæpretum est stabilire rationibus, & Doctores, (nec vero insuitis) Audiamus ergo nunc solum duos, ne tertium lectoribus. Ioan. Sancium, & Pasqualigum, nam alios habebis infra c. 25. à n. 16. meo.

JO. SANCH. d. 19. n. 8. Opinio, quæ in salute steterit reddit conscientiam ad operandum, vel non, tuam quæ reddit in articulo mortis, cum in utroque tempore æqualiter constringatur homo Deum non offendere. Tum quia, ut dicemus d. 42. n. 12. inter opinionem in conscientia securam, revera una non est securior altera quoad probabilitatem. Nam supposito, quod iuxta quamlibet, minus committit peccatum, non magis securus erit operans ex una, quam ex alia opinione, cum nulla deus maior securitas, quam non peccare, ut dicemus latius d. 44. n. 12. tum quia ut dicemus latius d. 44. n. 1. quoties sit cooperatio unius opinionis probabilis ad alteram probabilem, liberum est cuique minus probabilem petere ob rationem in alio elam, &c.

20. Hoc ultimum non usquequaque recipit Tamburinus, ut simile non recepit modo num. meo 16. Sol audianus Pasqualigus ex nobilissimo ordine Theologorum decis. 27.

An etiam tempore mortis liceat sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore.

21. Pasqual. Respondeo affirmative cum Ioan. Sancto. In selectis dis. 19. n. 8. quia non magis tenemur fugere tempore mortis offensam Dei, quam quocumque alio tempore. Unde si in alio tempore possumus sequi aliquæ periculo offensæ Dei opinionem minus probabilem, poterimus etiam tempore mortis: quia sola obligatio vitandi offensam Dei, potest facere, quod non possumus sequi.

22. Deinde militat eadem ratio tempore mortis, quæ militat reliquo tempore; ideo enim possumus sequi opinionem minus probabilem, quia est conformis regulari rectæ rationis; in hoc enim consistit probabilitas, & adeo eam sequendo, honestè operamur: seu cum conformemur ad rectam rationem; hoc autem semper est licitum, cum ex genere



## Cap. III. De Præcepto Charitatis fidei, &c. 493

genere suo dicat illum modum operandi, quo homo ordinatè se habet respectu ultimi finis. Unde tempus mortis non potest excludere talem modum operandi.

23. Nec obstat, quod homo tempore mortis debeat habere maiorem curam suæ salutis, & proinde sequi, quod securus est, atque adeo probabiliores opiniones; quia hinc non fit, quod debeat amplecti probabiliores opiniones; nam eo ipso quod amplectitur probabiles, securus est, quod non peccet. Unde non minus curat propriam salutem, quam si amplecteretur probabiliores. Imò cum opinio probabilior non sit certa, ipsa quoque continet idem periculum; præsertim quia ex se potest esse falsa, sicuti est minus probabilis. At verum est, quod nulla continet periculum, quia nulla operatio ex opinione probabilis imputari potest, etiam ad minimum peccatum. Hæc Palqualigus.

### CAPUT III.

#### De Præcepto Charitatis, fidei, &c.

I. BARON. II. **P** Ræcepta Charitatis, Fidei, Spei, cultus Religionis, aliarumque virtutum inter Christianos præcipuum omnino tollet, aut quod perinde est vim illis auferit, vel unum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte; quod verbis expressis tempus, & momentum non designant, quo illi actus sunt eliciendi, an vita Christiana prima institutione, an illius progressu, an ad finem.

2. Et potes cum conscientia securitate proferre, tolli à nostro Authore, vel diminui harum virtutum actus? legatur ipse, & incipiamus à fide, lib. 2. in Dec. c. 1 à n. 8.

#### FIDES.

3. TAMB. Num. 8. Vel primò sermo est de actu Fidei necessario necessitate salutis, & hunc quidem semel in vita elicere satis esse, modo vidimus num. 3. (cum Sanchez, & Aragonio) eliciendus autem est, ut primum propositi sufficienter sunt articuli fidei. Et paulò post. Cum igitur actus fidei ex necessitate salutis eliciendus sit etiam, ut notant Theologi, de necessitate præcepti, quia omnia obligamur facere, quæ necessario ad nostram salutem requiruntur, consequenter ad talem actum, quamprimum scilicet possumus, (id enim videtur requirere tanta necessitas) eliciendum obligabimur.

4. Vide igitur, Baroni, an tollat actum fidei, qui non solum ait, esse eliciendum ex necessitate præcepti, verum etiam de necessitate salutis, id est (ut loquuntur Theologi, de necessitate medijs, sine quo scilicet salus nullo modo obtineri datur? Sed pergamus ad reliqua.

5. TAMB. Num. 9. Vel secundò est sermo de actu Fidei ex necessitate præcepti, quo scilicet obligamur credere ea, quæ diximus num. 5. Sane nondum obviæ habui Doctores, qui id explicando, mihi satisfecerint; Unde omnibus perpensis, subdendo tamen, ut hoc, ita & alia omnia mea S. R. E. iudicio, puto per se, & directè nunquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicite, nec explicitè ex vi necessitatis præcepti fidei (nam medijs simul, & præcepti jam modo dictum est, quæ ratione semel, & ad quæ mysteria credenda sit obligatio) sapissimè vero obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum. Ratio prioris dicti est, quia ut diximus in Opus. de exped. Sacrifi. (lib. 2. cap. 2. §. 16. n. 5.) nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum; cum enim non possit, ut indeterminatum exire in executionem, non censetur prædictè esse completum, taleque fuisse præceptum Confessionis, ut item Communionis extra mortis articulum, antequam Ecclesia determinasset tempus Paschale, ipsidem innuimus: ex Delugo de Eucharist. d. 16. sect. 1. num. 28. & de Pæn. d. 15. sect. 3. num. 39. de

Part. III.

numquam invenimus determinatum tempus esse, quo obligemur ad prædictum, (præter illum de necessitate medijs, de quo jam dictum est num. 3.) actum fidei eliciendum, ut ex num. seq. patebit; ergo, &c. Ratio posterioris dicti est, quia multoties occurrit, debere nos ad servanda aliqua præcepta elicere quosdam actus, qui necessario supponunt prædictum actum fidei, ergo tunc per accidens, ratione scilicet actus adiuncti, obligabitur fidelis ad eliciendum prædictum actum fidei, sine quo actus per se præceptus constare nequit. Hinc ex mox dicendis à num. 11. clarius intelligitur. Hinc vides prudenter Christum Dominum præceptum per se de prædicto actu fidei non imposuisse, quia satis, superque esse iudicavit actum fidei, & necessitate, (hoc est medijs, de quò supra) salutis, & insuper alios necessario prærequisitos ad servandis, ut dictum est, alijs præceptis.

6. Num. 10. Confirmatur primo nostra sententia; ex Azor. p. 1. l. 9. c. 4. q. 1. fin. qui docet, Charitatis præceptum tunc solum obligare, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, quæ iustificari possimus; quia hoc præceptum non videtur obligare, nisi ut medium iustificationis, vel ut dispositio ad illam. Hæc ex illo. Ex quibus colligo, similiter dici posse de fidei actu, & consequenter de actu spei; ut cum de Charitate agam infra c. 2. §. 1. n. 2. hoc me remittens, rursus innuam, & infra Cap. 3. §. 2. n. 2. non teneri scilicet nos ad actum fidei, & spei, nisi quando tenemur iustificari per contritionem, & ego addo, vel per attritionem cum Sacramento &c. atque adeo ratione alterius actus Virtutis, non autem per se.

7. Num. 11. Confirmatur secundo discurrendo per aliqua tempora, quæ nobis contrarij Doctores assignare solent huius obligationis. Primum tempus, quo fideles per hos Doctores obligantur ad eliciendum actum fidei assignatur ab Azorio p. 1. l. 8. c. 27. q. 8. quando obligatur quis gratiam per peccatum amissam recuperare, tunc enim non poterit actum v. g. contritionis, vel attritionis cum perceptione Sacramenti elicere, nisi credat, ea, sine quibus constare hi actus nequeunt; nisi enim credat in Deum, spem venia ab ipso sperando, nisi credat pœnis Inferni, cuius timore v. g. attrititur, nisi credat Sacramentum Confessionis, cuius perceptione liberari à peccatis intendis; contritionem, attritionemve dictam exercere non poterit.

8. Verum quis non videt, ut ipsemet Azorius videt, & fassus est, fidei actum tunc non præcipi, nisi ratione contritionis, vel attritionis, non vero per se? nam propterea bene inferi Sanchez lib. 2. in Decal. Cap. 1. n. 3. fin. omittentem se tunc contere, non peccare contra præceptum fidei, sed solum contra præceptum recuperande gratia, id quod verum est in alijs casibus, quoribus scilicet tale præceptum fidei ratione alterius actus, hoc est per accidens obligare, mox docebimus.

Num. 12. Secundum tempus assignatur ex Valentia 2. 2. d. 1. q. 2. p. 5. concl. 4. quando tenetur quis aliquid exterius facere, quod nequit commode præstare sine interno actu fidei, ut si teneatur ipsam fidem exterius confiteri. At ibid. idem Val. jam faretur, tunc non obligare præceptum fidei per se, sed ratione præcepti adiuncti, nempe confessionis exterioris. Imò addo, si quis merè exterius tunc fidem confiteretur, præstindendo ab omni actu fidei interno, jam satisfacturum, præcepto; id quod fortasse aliquibus Sanctis Martyribus accidit, quando toto animo intenti ad externam confessionem & ad tormenta patiendâ; minus ad actum internum fidei eliciendum, & cum externa confessione coniungendum, attendebant.

Num. 13. Tertium tempus simile huic esse potest, quando quis ex fidelibus obligatur iam factus capax rationis, scire prædicta mysteria, non enim commode scire ea poterit, nisi illis assentiatur; sed iam vides, id etiam esse per accidens ratione præcepti scindendi.

Num. 14. Quartum tempus ex Ledesma tom. 2. sum. tr. 1. c. 8. concl. 4. assignatur semel singulis annis, quando tempus præcepti Confessionis, & Communionis instat. Sed iam tunc non erit nisi ratione præcepti adiuncti, quod si

T t

alind